DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Edwd Ffys Holwell

ETHICA NATURALIS

SEU

DOCUMENTA MORALIA

e

Variis rerum Naturalium proprietatib⁹
Virtutum Vitiorumq; ſymbolicis
imaginibus collecta.

a

Chriſtophoro Weigelio
Norimbergæ.

481649

Sol. *Il Sole.*

Etiam Divinum inflammet amorem.

I.

ADſpice fulgentem, qui pendet in æthere, Solem,
Gaudia quot vultu non facit ille ſuo!
Et vagus, in ſilvis, & in aere, concinit ales,
Squammigerumque ſalit, lanigerumque pecus.
Luce ſua gemmæ, floresque colore triumphant.
Verbo: ubi Sol, mundo tunc nova vita, redit.
Pulcrior at Sole eſt, & Sole potentior Autor,
Gratiæ & hic radios ſpargit ubique ſuæ.
Quis tamen hunc noſcit? quis laudat, & ardet amore?
O quam mortales frigida corda ſumus!

Luna. La Luna.

Monet rubicunda pudoris.

II.

ALtera fax cœli Sol eſt, fax altera Luna:
Iſta regit noctes, ut regit ille dies.
Sol ſegetem campis adfert Sol vitibus uvas;
Lunaque fœcundas piſcibus auget aquas.
Aureus eſt uni color; eſt argenteus uni.
Mundus ab his ut opes diſcat habere ſuas.
Hæc duo qui nobis famulari ſidera juſſit,
Nonne coli debet nocte, dieque Deus?
At ſtertunt, hominesque tegunt ſua crimina nocte.
Fors Lunam, toties quæ rubet, inde pudet.

Una Stella. Le Stelle.

Stellæ.

Tot ſunt pro Numine teſtes.

III.

O Stellæ, o placidæ radiantia lumina noctis,
Quos habet, in liquido tranſite, nauta duces!
Quis dedit hoc vobis, quod tot per ſecula fulget,
Tempeſtas potuit vincere nulla, jubar?
Conſtantemque ſuo, quo cœperat ordine, curſum
Quis regit? Omnipotens eſt, reor, illa manus.
Sic eſt. Quot tremulas nox computat aurea flammas,
Tot pro ſe Teſtes Conditor orbis habet.
Quam cæca eſt Epicure tuæ veſania mentis,
Numen ad has nondum quæ videt eſſe faces!



Ignis. *Il Fuoco.*

Sibi figit in alto Centrum verus amor.

IV.

REs vehemens ignis, ſegnemque exoſa quietem,
Aut agit, aut fumo ſe necat ipſe ſuo.
Libertatis amans nullas admittit habenas.
Clauſeris hunc? fremet, & vi ſibi rumpet iter.
Cuncta ſupervolitans, ſibi vult elementa ſubeſſe,
Atherea centrum fixit in æde ſuum.
Par amor eſt igni? Quis enim retinebit amorem?
Odit amor frenum, ſegnitiemque fugit.
Affectus etiam reliquos tranſcendere geſtit.
O quoque ſi noſter ſidera quærat amor!

Aer. L' Aria.

Eſt gravis, nimium levis.

V.

TErræ inter cælique plagas diffunditur aer,
Et levis, & varius, corporibusque gravis.
Ver in eo rores, Autumnus colligit imbres,
Æſtas ſæva parit fulmina, Bruma nives.
Nunc tenebris mœſtus, flatu nunc turbidus Euri,
Aureus a radiis eſt modo Phœbe tuis.
Verior humanæ non eſt, puto, mentis imago,
Quam tot in affectus quælibet hora rapit.
Flet modo, jam ridet, nunc odit, amatque viciſſim.
Hac ſibi ſunt homines quam levitate graves!

Aqua. L'Acqua.

Sæpe, quæ premunt, bonum exprimunt.

VI.

AEr aquis, rurſum terræ gravis incubat unda,
Fœcundumque facit, quod premit unda, ſolum.
Ni mare det fluvios, ni rivos flumina, fontes
Rivulus; ac ſitiens fonte careret humus;
Dicite, num ſilvæ, num jugera læta virerent,
Purpura num pomis, num foret ulla roſis?
E terra formatus homo eſt. Quæ pectora torquent,
Nonne maris ſalſas ſæpe vocamus aquas?
Cur nos tam queruli nobis adverſa timemus?
Cum det humus fructus non niſi preſſa ſuos.

Terra. La Terra.

Non omnis Fert omnia.

VII.

INfima Terra loco eſt, non eſt tamen infima laude:
Luna nata prior, condita Sole prior.
Divitias vaſto gremio complectitur omnes,
Poma, roſas, gemmas, fulva metalla, parit.
Non tamen hæc omnis profert ſimul omnia tellus,
Dives in hac, alia ſquallet egena plaga.
Sic etiam dothomes inum diviſit Olympus.
a ctenus accepit nemo, quod omnis habet.
Et junctum ſapiens tenet hæc diviſio mundum,
Cum ſocia poſſit nemo carere manu.

Nubes.

Le Nuvole.

Clientes dedecus indigni.

VIII.

ILla tumens, quæ ſyrma trahit ſuper aere, Nubes,
Halitus aut teriæ eſt, aut vapor, ortus aqua.
Ante gravem maſſam, Phœbus tenuavit, in altum
Suſtulit, & radiis imbuit ipſe ſuis.
Sæpe ſed opponit nubes ſe perfida Soli,
Et tectum tenebris tollit ab orbe diem.
Diſcite Magnates; ne gratia veſtra Clientes
Elevet ad celſum, ni meruêre, locum.
Illuſtras aliquem vacuum virtute vaporem?
Heu cave, ſplendorem ne tegat ille tuum.

Pluvia. La Pioggia.

Quod nimium, nocuum.

IX.

DEnſa coit Nubes, nubi gravis incubat Auſter,
Solvitur hæc, fuſis irruit imber aquis.
Agricolæ campis fugiunt, e calle viator,
Eque foro Civis, tectaque ſicca petunt.
Corporibus, timor eſt, obſit ne noxius humor,
Ferre pudet madidas imbre lutoque togas.
Quis neſcit, ſcelerum quod ſit temulentia cœnum?
Non magis hac fœdam Styx habet ipſa lacum.
Ingens ſi Bromii per guttura defluat amnis:
Quid mirum, ſi mens, vita, ſalusque fugit.

Grando.

Il Grandine.

Dum ferit, perit.

X.

GRando quid eſt? tenues, quas ſol levat æquore, guttæ,
Frigidaque in duros torneat aura globos.
Hos ubi pugnantes jaculantur ab aëre venti,
Læſa perit vitis, ſaucia ſpica perit.
Cætera cum frangit, ſe turbine frangit eodem:
Sic aliis grando eſt, & ſibi grande malum.
Grande malum grando eſt, minus eſt tamen impete linguæ,
Cui furias addunt livor & ira ſuas.
Quis numeret verbis hæc quot tulit effera clades?
Qui tamen hac feriet, ſe feriendo, perit.

Nives.

La Neve.

Eſt hoſtis candoris Amor,

XI.

QVis capit, aut dicet, qua nubila carminet arte,
Et natura ſuas extrahat inde Nives:
Rarum opus; in tenui formantur ſidera flocco,
Comtaque ſex radiis albaque lana cadit.
Mollis at ut res eſt, & ſindone purior omni:
Sic perit a minima Nix reſoluta face.
Talia Virginei vos eſtis ſidera mores,
Candidior veſtro eſt nullus in orbe color.
At blandis cum parvus amor volet undique flammis,
Non habet hic multas vita pudica nives.

Tonitru.

Il Tuono.

Qui tonat, eſt. Scelerate time.

XII.

DVm calor evolvit compactas frigore nubes,
Quas rapit hinc Boreas, & rapit inde Notus.
Mox grave colliſo ſe tollit in aëre murmur,
Vndique tum refuga fulgura luce micant,
Tandem hiat, & fractus tonitru diſrumpitur æther,
Ignitæque cadunt, fulmina ſæva, faces.
Mortales trepidate: fragor reſonantis Olympi
Vltorem ſcelerum nam probat eſſe Deum.
Hæc, niſi vos moveat, ſurdas vox eriget aures,
Torqueri ſtygio quæ jubet igne reos.



Iris.

Adſpectu pendet ab uno.

XIII.

PIctor adeſt Pbœbus, tabulæ vice roſcida nubes,
Iris imago, nitens lux, radiique color.
Munde, oculos huc verte tuos! hoc vincitur arcu,
Si quod ineſt gemmis, aut decus hortus habet.
Iridis iſta quidem eſt; verum Iridis iſta venuſtas,
Cum ſua Sol flectit lumina, tota perit.
Cor noſtrum & tabula eſt, Deus & ſe pingit in illa,
Et virtus color eſt, gratia lumen agit.
Adſpicit ille? nitet miro mens plena decore.
Avertit vultum? Quid ſumus? Vmbra, Nihil.



Ventus. *Il Vento.*

Ars & Virtus facit esse secundum,

XIV.

TOt genii, variis quot sunt data nomina Ventis,
Blandus hic, ille ferox; siccat hic, ille pluit.
Unus in Europam pellit, vehit alter ad Indos,
Promovet hic proras, puppibus ille favet.
At capit, & velis moderatur nautica captos,
Et famulos votis ars facit esse suis.
Vita mare est; varii fortunæ a turbine motus,
Credite, sunt ventis vi, genioque, pares.
Quilibet est felix, & cursum in littore sistit,
Si regit hunc virtus, & Cynosura polus.



Una Montagna. **Montes.** Le Montagne.

Quamvis altus, procul attamen aſtris.

XV.

VErtice vos tumidi qui ſcinditis aëra montes,
Vaſta ſoli moles, durior eſtis humus.
Aurea ſunt vobis, ſed & ignea viſcera, novi,
Et ſcio pars veſtrum (ſed quota?) læta viret.
Ite Giganteo tranſcendite culmine terras;
Deſpicient veſtrum, ſed tamen aſtra caput.
Fallor an hæc Faſtu depingit imago tumentem:
Ortus humo, raro eſt utilis, alta petit.
Verum ſpargat opes; Domino pede poterat orbem;
Sit magnus; procul a Numine ſemper erit.



Una Valle.

Valles.

Humilis, at utilis.

XVI.

VOs humiles, terræ ſed felix portio, Valles.
Quas tumulant montes, & juga celſa tegunt.
Nativo varius vos floſculus afflat odore,
Læta magis vobis gramina rivus alit.
Vobis lac dat ovis, mel apes, ros ſacchara, nullus
Tranſcendit veſtras, mons licet altus, opes.
Numquid & hæc hominem depingit imago modeſtum,
Quem preſſum tumidus ſub pede livor habet?
Huic ſua dum Virtus, & Pallas munera confert,
Vt jaceat, magno par tamen ille viro eſt.

Un Poggio. Un Colle.

Colles.

Vult te vigilem locus altior eſſe.

XVII.

QUi viridi ſurgunt veſtiti ceſpite, colles
Abducunt oculos plana per arva vagos.
Inde ſuos ridet ſalientes Tityrus agnas.
Cornigerum numeras hinc, Melibœe, pecus.
Hinc quoque, quos caveat, venturos prævidet imbres,
Ipſe ſuam ſpeculam ſic quoque Paſtor habet.
In ſpeculam natura ſuos ut provida colles,
Sic & honor celſos ſtruxit in urbe gradus.
Publica ſublimem faciunt te munera? Ab alto
Proſpice, ne populum deſpice; paſce vigil.

Spelunca.

Raro tali eſt bonus hoſpes in æde.



XVIII.

VIderis abſtruſum duris ſub rupibus antrum,
Malleus hoc, fulmen, forte cavavit aqua.
Hic Aliquis ſi quærit opes, heu fallitur; angues
Invenit, & diram, quam parit Hydra, luem.
Et quoties tali latro latet abditus æde?
Incola noctis amans vix bonus eſſe poteſt.
Heu fuge triſtitiam, tetricis verſatur in umbris
Styx, o quod virus, illius antra tegunt.
Qui venit huc, nihil hic niſi ſicca videbit is oſſa:
Hac animæ latro conditur ergo ſpecu.



Eremus.

Nunc magna eſt mundus Eremus.

XIX.

TRiſte dedit rerum penuria nomen Eremo,
Vitaque, quam ſocia non levat alter ope.
Hanc aliquis forſan Superum ſuccenſus amore,
Illecebrasque tuas, munde, peroſus adit,
Seque fame, torquetque ſiti, precibusque fatigat,
Et lacrimis culpas eluit ipſe ſuas.
Nunc procul orbe fidem pepulitque Gradivus amorem,
Dira fames urbes, evacuatque lues.
Deſertum eſt mundus. Silvas, ac antra relinquat,
Plurima pro cœlo qui mala ferre cupit.

Pratum.

Un Prato.

Caro fœnum eſt: utraque falci ſubjacet.

XX.

QUod tepidis fovet æther aquis, Ver crevit adultum,
Se levat herba, virens ſunt vaga prata mare.
Tum curvas acuit ſimúl omnis ruſtica falces
Turbaque conjuncta gramina tondet ope.
Colligit, & longo Fœni ſtruit ordine turres,
Sic paret ut pecori pabula grata ſuo.
Eſt fœnum caro, ſacra docet nos pagina, nempe
Subditur hæc falci Mors quoque ſæva tuæ.
At caro ſi fœnum eſt: numquid, qui quærit in illa
Delicias, brutum jure vocándus erit?

Campus.

Una Pianura.

Mala ſurgit ſæpius herba.

XXI.

STernitur en viridi diffuſus tegmine campus,
Ac ibi Flora ſuas gramine miſcet opes,
Et rivus mediis argenteus errat in herbis;
Vnda ſitim pecori, mitigat herba famem.
Convivis, & nulla vagis ut gaudia deſint,
Dat lyra, vel blandum ruſtica canna ſonum.
His bona deliciis campos natura beavit;
Gaudia Mars caſtris tollit at iſta ſuis:
Tela loco florum, pro gramine ſurrigit haſtas:
Orbis abit, talis cum venit herba, viror.

The Road. The High Road.

La Strada. **Via.** La Strada Maestra.

Tere, ſit quamvis ardua, tutam.

XXII.

LÆta viatori ſe ſemita ſæpius offert,
Qua tamen ad patrios non venit ille lares.
Regia tuta via eſt, hac civis & advena migrant,
Inſtitor hac cautas mittit avarus opes.
Aſpera ſit quamvis ſaxis, nil terret euntes
Aſpera, ſecurum quod via præbet iter.
Eſt crucis ad cælum via regia; nempe præivit
Maximus hac Regum Chriſtus ad aſtra via.
Mortales alium, moneo, ne quærite callem:
Errat is a cœlo, qui crucis horret iter.

Tuc, lit quamvis arcua, tuam.

XXII.

Iter vitam fe Semita lucis offert,
Qua tamen ad pacis non venit ille lares.
Regia tua via eſt, hac civi & advena migrant,
Iuſſitor hac cunctis mittit avarus opes,
Aſpera ſi quamvis ſint, nil tetet cunctis
Aſpera, ſecuram quod via præbet iter.
Eſt crucis ad cœlum via regia; nempe pruvivit
Maximus hac Regum Chriſtus ad alta via.
Mortales alium, monco, ne quærite callem:
Iter is a cœlo, qui crucis hoſtet iter.

Ager.

Nil absque Labore.

XXIII.

CRedita pauca ſibi, quot grana rependit ariſtis,
Et quanto ſegetem fœnore reddit Ager!
Culturam tamen ante petit, vult vomere ſcindi,
Rurſus & ut ſulcos vult tegat occa ſuos.
Caſtiganda etiam eſt, quæ crevit, inutilis herba,
Nil tibi dat, ſolers ſi labor abſit, Ager.
Fallere qui fallique nequit, cor comparat agro,
Eſſe DEI verbum fertile ſemen, ait.
At quis agit, quod Verba docent? Cum nemo laboret,
Meſſis abeſt, frugi vix reperitur homo.

XXIII.

Crudus puer tibi, nunc gnatus repredet a tibi,
Et quanto fugax tum tempore redeat Ager!
Culturam tamen ante petit, vult vomere findi,
Ruribus & ut lubeos vult tegat ocea Hoe.
Cultibus ut crescat, quæ crevit, inutile herba,
Vel ubi sit, sciat si labor ablit, Ager.
Talleat qui publique rogat, cor compatiatur,
Tile DEI verbum fertile semen, ait.
At quis agit, quod Verba docent? Cum nemo laborat,
Multis sibi, frugi vix reperitur homo.

Una Pietra. Un Sasso.

Lapis.

Durum, ne roboret ætas, frange cito.

XXIV.

GLeba prius fuerat, longis induruit annis,
In medio, grandis qui lapis hæret, agro.
Debilis hunc olim potuiſſet pellere dextra;
Nunc junctæ nequeunt mille movere manus.
Se gravis affixit concreto pondere moles,
Immotumque loco cedere neſcit onus.
Eſt tibi fors ſoboles, cujus mens ſæpe reſiſtit,
Nec ſe vult monitis flectere dura tuis?
Frange cito puerum: ſi callum obduceret ætas,
Heu gravis opprimeret cor Lapis ille tuum.



A Vine

Vinea.

Una Vigna.

Qui diligit, caſtigat.

XXV.

EN operam! dulces qua vinitor educat uvas:
Jam fodit, & pinguem vitibus addit humum.
Crura modo vitis, modo brachia noxia purgat,
Jam caput, & molli ſtramine colla ligat.
Ille tuum cultro reſecat modo pampine luxum.
Sub rigida creſcit vinea læta manu.
Forte tuæ minuuntur opes, tolluntur amici,
Quam bonus eſt, aufert quæ nocuere DEVS.
Vinitor ille ſagax, ne tu fuge vinea cultrum,
Vult lacrimas, Superum maſſica grata, tuas.



Arbor.

Un Albero.

Pomis fit cognita radix.

XXVI.

QUæ tibi tam gratas ſe ſe explicat arbor in umbras,
Texuit e ſucco terra benigna ſuo.
Ille, per occultas dum ſerpit ubique medullas,
Et decus hoc ramis, hoc quoque robur alit.
Vt faveat tellus, ſi ſit tamen improba radix,
Nulla, vel hæc arbor poma maligna dabit.
Arbor homo inverſa eſt: illi eſt in vertice radix:
Numinis hanc quem dat gratia ſuccus alit.
Mens ſi corripitur vitiis, perverſa fit arbor,
Ac homo pro fructu fert Mala ſola ſuo



Flores. I Fiori.

Parum eſt, ſolo oblectare colore.

XXVII.

MAjus adeſt, iterum flores naſcuntur in hortis,
Narciſſi, violæ, lilia, caltha, roſæ,
Et, ſi quos alios, teneris fert Chloris in ulnis,
Queis decus eſt varius prodigiumque color.
At niſi ſit ſocio color hic conjunctus odori,
Flos fœno ſimilis, quem vorat ignis, erit.
Forte tuo commixta roſis ſunt lilia vultu;
A te virtutis ſi tamen abſit odor:
Vt mundo placeas; Superis non inde placebis:
Flos eris, in Stygium projiciende rogum.



Herbage. Full of Herbs.
Erbaggio. Erboso.

Herbæ.

Multum TE tibi noſſe refert.

XXVIII.

CAlculus, aſthma, febris, tuſſisque, & phthiſis, & hydrops,
Et mala nos, numero quæ caruere, premunt.
Provida ſed rurſum natura tot attulit herbas,
Quæ recreant ſucco languida membra ſuo.
Arcanas Medici plantarum inquirite vires:
Hæc miſeris virtus cognita præſtat opem.
Forte rogas morbos animi quæ tollere poſſit,
In quibus, & quænam creverit herba plagis?
Crevit, & a Sinis fert nomen plantula. Liber
A vitiis, ſi TE noſſe ſtudebis, eris.

Jewells

Gemmæ.

Le Gioje.

Examine longo.

XLI.

O Quoties digito, quem nobilis inſerit Hymen,
Examen rigidum ſplendida Gemma ſubit.
Lynceus hanc mango partem convertit in omnem,
Quis color, aut lux ſit, rimula ſiqua probat?
His opus eſt curis: e vitris fingere gemmas
Plena dolis etenim ſecula noſtra ſciunt.
Noſcere ſed forſan cupies, ubi plurima fraus ſit,
Et quæ præ reliquis fallere gemma queat?
In *vero*, reor, eſt *Adamante* potiſſimus error,
Gemmâ hâc nil totus rarius orbis habet.

Pearl

Vnio.

Una Perla.

Cœli cuſtodi munera creſcent.

XLII.

DUm cadit in Pelagus, Phœbo naſcente, ſoluta
Volvitur in teretem roſcida gutta globum.
Excipit hanc, quæ concha patet, gremioque receptam
Oceani ſalſas educat inter aquas.
His tegitur cunis, tali nutrice fovetur
Vnio, candidius quo nihil orbis habet.
Vnio quid? cœli fecundus Gratia ſuccus.
Quid pelagus? mundus. Concha quid? illa cor eſt.
Magna fit, & fluctus inter quoque Gratia creſcit,
Cordis in innocuo ſi manet illa ſinu.

Morning.

L' Aurora. **Tempus Matutínum.** La Mattina.

Non, Sole pudet Surgente, jacere?



XLIII.

PAnde fores, valvas reſera. Sol advenit hoſpes,
Te pudeat plumis, Sole videnté, tegi.
Ille quiete caret, totoque laborat in orbe:
Segnitiem exemplo dedocet ergo ſuo.
Jungito, Mopſe, boves, pecus educ, Tityre, caulis,
Incudem ſtrepitu tunde ſonante, faber.
Vos etiam docti jam cudite carmina vates:
Ingeniis Phœbi lumina prima favent.
Clarius illuſtrat mentem lux illa Senatus.
Omnibus eſt felix, quæ bene cœpta, dies.

Dinner.

Prandium. Il Pranso.

Debes esse parum, si cupis esse diu.

XLIV.

VMbra modo minor est. *Medium* Sol scandit Olympum.
Quæ sonat, ad positas jam vocat hora dapes.
Hæc qui donã dedit, Deus est pater omnibus unus,
Tam bonus, impastas ut quoque nolit aves.
Ne prius accumbas mensæ, ne fercula libes,
Quam precibus laudes, ob data dona, Deum.
Laudasti? jam sume novis pro viribus escam.
Hic pecus est, solam qui fovet inde gulam.
Id quoque te moneo: *modico* qui vescitur, annos
Prorogat, & *multo* vescitur ille cibo.

Evening.

Veſper. La Sera.

Rea mens nequit eſſe quieta.

XLV.

MIgrat ad oppoſitas prono ſol lumine gentes,
Hic modo Stella redux, mox ibi Stella micat.
Jam quoque vicinis mage nox extenditur umbris,
Auraque plus ſpirat frigida, Veſper adeſt.
Veſper adeſt, feſtis concedit is otia membris.
Grata quies curas, colloquiumque levet.
Et bene præteriti tum quis notat acta diei,
Ante preces mollem nec ſubit ipſe thorum.
Mors ſomni eſt frater. Moriens vult nomen amicum.
Offenſo quisnam dormiet ergo Deo?



Mid-Night.

Media Nox. La Mezza Notte.

Somniat, in mundo qui ſe putat eſſe beatum.

XLVI.

NOx media eſt, totumque tegit caligine mundum.
Cuncta ſilent, oculos claudit ubique ſopor.
Phantaſus interea thalamos circumvolat omnes,
Et lepido fingit ſomnia mira dolo.
Hæc Irum quoties in Crœſum ſomnia mutant!
Evigilat? rurſum, qui fuit, Irus erit.
Non ſecus humanæ fallunt nos gaudia vitæ,
Quam ſe felicem quis putat inter opes.
Judicis e mortis jubet hunc tuba ſurgere ſomno?
Eſt miſer, in vacua nil videt eſſe manu.

The Spring.

Ver. La Prima Vera.

Monſtrat, terras reſerando, ſepulcrum.

XLVII.

VEr Charis eſt anni, florentis gloria terræ,
Deliciis Cornu-Copia plena ſuis.
Ver renovat ſilvas, Ver prata virore coronat,
Ille color florum veris ab arte venit.
Et mage jam calido Ver implet ſanguine venas,
Membra ſuum, ſuccum Cor bibit unde ſuum.
Ver cupiunt plantæ, volucresque, hominesque, feræque,
Nam mundo vigor hinc, & nova vita redit.
Cum tamen occluſas aperit Ver undique terras:
Omnia ſic tumuli vult monuiſſe ſui.



The Summer.

Æstas.

La State.

Æstum mors frigida tollit amoris.

XLVIII.

INcaluit tellus, & fervida solibus Æstas,
Plus etiam tonsos Sirius urit agros.
Mirantur profugis minui se flumina rivis.
A pede quod sicco sint modo victa, pudet.
Ipse abit in tenues aër, tremulosque vapores,
Et tegit hos densus nube strepente culex.
Lassat, & humanos etiam calor occupat artus:
Quæritur a nemorum, frigus & umbra, sinu.
Frangere vis æstum, qua virtus languet, amoris?
Vmbram mortis adi. Suppeditabit opem.



Ros.

Vis ſumma ſoli eſt & ſuccus ab alto.

XXIX.

LVx tenuis reducem cum prodit in æthere Phœbum,
Solvitur in rorem pendulus ante vapor.
Tum replet patulos argentea guttula flores,
Et bibit hinc vires arbor, & herba, novas.
Quam bene vitalis terræ Ros dicitur humor!
Si caret hoc, fructu tum caret ægra ſuo.
In cruce pro nobis a fuſo Sanguine Chriſti,
Gratia, ros animæ, vita, ſalusque venit.
Veſtra hunc Mortales pietas niſi colligat imbrem;
Spes jacet ægra, Fides mortua, friget Amor.

XXIX.

Ve tenuis reducem me prodit in arbore Phœbum,
Solvitur in tenues pendula arte vapor.
Tum rigat exsuccos copia parca flores,
Et bibit hinc vitis arbor, & herba, nova.
Quam bene vitalis rem fles dixisse Rumor!
Si caret hoc, fluxis tam caret ore fides.
In cruce pendebas Fili Summe Dei!
Gratia, pro nobis, vita, labore, vene.
Vestra hunc Mortales pietas nil colligat in rem;
Spes ipsa vestra, Fides ipsa vestra, Virgo Amor.

A Brook

Rivus.

Un Ruscello.

Subito ſurgitque, ruitque.

XXX.

INter ſaxa ſtrepens, qui rivus circuit undis,
Cunas in modico fragmine rupis habet.
Sæpe tamen pluvio ditant hunc Pleiades imbre,
Surgit & affuſas tum tumet inter aquas.
At brevis hic tumor eſt. Sol advenit, aufugit imber,
Et puer hunc ſicco tranſit ut ante pede.
Se videt hac in aqua, qui, paupere natus in æde,
Ingentes ſubito crevit adeptus opes:
Rurſus enim faſtu nimium dum turget inani,
Ad populi riſum, ſorte cadente, cadit.

A Fountain.

IL Fonte. **Fons.** La Fontana.

Quod premit, elevat.



XXXI.

QVas capit ars, captasque cavis ſiphonibus arctat,
At premit arctatas incubus aër, aquas,
In celſum ſaliunt per aperta foramina fontem,
Mille dein ſparſo qui facit imbre jocos.
Ante magis conſtricta, magis dein libera ſurgit,
Quoque magis preſſa eſt, tollitur unda magis.
Purus es inſtar aquæ, tamen arctat, & opprimit hoſtis?
Ne vereare: ſuos hac levat arte DEVS.
Joſephus docet hoc Phario de carcere liber:
Nam minus illuſtris, ni latuiſſet, erat.

A River.

Fluvius.

Un Fiume.

Collectis oritur, divisis interit undis.

XXXII.

ID quod grande vides, fons est in origine, flumen,
Fluminis hoc vario tramite rivus adit.
E sociis ergo cœpit succrescere rivis,
Jam fluvii nomen, vim quoque grandis, habet.
Bajulus impositis subdit tum terga carinis,
Et decus & magnas urbibus addit opes.
Par est Nobilitas fluviis: nam crescit eundo,
Et grave, Res quod habet publica, portat onus,
Splendor ab hoc, fortuna venit, tutelaque regnis,
Si tamen in luxum diffluit, ista perit.

Fluvius.

Colligit ecce, divis intent undis,

XXXII.

[illegible] quæ gurgite vidi, Tiberi,
Fluvius hæc unus tumidis ripis adit.
Ille [illegible]
Jam ut vidi rorem, vim quoque grandis, habet.
Stipula impositis tibi et tum torga cubitis,
Ille docte te magis arbitrus addit opes.
Tu ab Dolichiæ [illegible] tum crebro undo,
Et grave, ace quod labor proditus, orte cave,
Splendor ab hoc, fortuna veris, indolore regnis,
Si tuque in luxum diffluit, ille perit.

Aqua cadens.

Quantus amor Centri eſt!

XXXIII.

IMpete quo, quanto ſtrepitu, quæ proxima terræ
Eſſe cupit, præceps montibus Vnda ruit!
Et ruit, & ruptis millena in fragmina guttis,
Vnica de lapſa ſpuma videtur aqua.
Nil caſum, nil damna timet. Se dummodo jungat,
Et propior Centro ſit gravis unda ſuo.
Veſtrum mortales centrum eſt in Numine, damna
Quis tamen, hoc ſe ne ſeparet, ulla ſubit?
Quis famam, quis opes pro cœlo fervidus offert?
Heu pudor, a gelida quod ſuperamur aqua!

A Marsh.

Palus.

Una Palude.

Allicit & decipit.

XXXIV.

HEu cave: plena dolo viridis tegit herba paludem,
Ne ſubeas planum, quod tibi monſtrat, iter.
Cedet, & infidis tellus te deſeret undis:
Nam latet & titubans ſubruit unda ſolum.
Qui cito non verſis relegit veſtigia plantis,
Veſpillo ad tumulum vivus it ipſe ſuum.
Has habet inſidias florens (mihi credite) tempe,
Quo trahit illecebris Cypria diva ſuis.
Cæno viſcus ineſt, plantas hic detinet ægras,
Nec ſinit ad ſuperas inde redire plagas.

A Wood.

Silva.

Un Bosco.

Ambiguum cave ſolus iter.

XXXV.

SIlva patet, variis viret, adſpice, ſilva theatris,
Fraxinus hinc ſcenas, populus inde ſtruit.
Dum ſubit has ductore carens, quam ſæpe viator
Devius a recto tramite vertit iter!
Inter & inſidias latronum, unguesque ferarum,
Heu! trepidas noctes irrequietus agit.
Fors aperit plenum tibi mundus honore theatrum,
Et trahit huc viridis ſemita multa ſpei!
Tu ne fide viæ, niſi dux ſit prævia virtus:
Vulpibus hæc etenim eſt, ſilvaque plena lupis.



Sand.

Arena.

Hac perge via, quam ſidera monſtrant.

XXXVI.

TOrret ubi Lybiæ Sol fervidus ignibus oras,
Hic ſterilis vaſtas implet arena plagas.
Quid facit a recto ne calle viator aberret?
Si qua videt, ſequitur prævia ſigna pedum.
Invidus hæc forſan veſtigia diſſipat Eurus?
Pro ducibus ſtellas quærit habere ſuis.
Fare, quid eſt mundus? Cinis eſt & pulvere plenus:
Scilicet hoc implet mors numeroſa ſolum.
Juſtorum preme cautus iter, tibi gratia dux ſit:
Patria non alio eſt invenienda modo.

Port, or Haven.

Portus.

Il Porto di mare.

Præfixa motus animæ ſub lege coërce.

XXXVII.

ADſpice, quam placide pelagus, qui frena recuſat,
Fluctibus allambat littora curva ſuis.
Cum crevit, ventisque tumet, vel tollitur æſtu,
Se rotat, in grandem conglomeratque globum.
Latius hunc vis nulla poteſt extendere: Metam,
Quam natura locat, tam reverenter habet.
At quisnam eſt, cujus non faſtus, amorque, furorque
Juſtitiæ leges, transgrediturque modum?
Dicite, nonne mari, quem nil vel juſſa coërcent
Numinis, eſt ſcelerum major abyſſus homo?

The Sea.

Mare.

IL Mare.

Nulli, quod ſemper mobile, fide.

XXXVIII.

EN oculis vaſtum ſe fluctibus explicat æquor,
Æole, propugnis lata palæſtra tuis.
Nunc etenim tumidum ſuſtollis ad æthera pontum,
Præcipitemque ſtygis rurſus ad antra rapis.
Si placidum eſt, iterumque furit, ſpumatque fremitque,
Mobile quo magis eſt, ſævius inde mare.
Exhibet hoc populum, quem ſanguis, patria, mores,
Conſtantem genius nec ſinit eſſe ſuus.
Si pacem, ſi ſpondet opem, ne crede, moveri
Tam facilis, ſolidam non habet ille fidem.



The Rock. Rocks. A Rock.

La Scoglia. Una Rocca.

Scopuli.

Quæ ſunt tecta, pericla time.

XXXIX.

JO favent venti, colludunt carbaſa ventis,
Advolat ad portum læta carina ſuum.
Jam prope quæſitas fauſto tenet impete terras,
Obviat en ſcopulis unda doloſa ſuis.
Fit fragor, alliſa compages ſolvitur alvo,
Navis, opes, vector, vectaque turba perit.
His tu naufragiis vitare pericula diſce,
Ad fortunatas, quem vehit Aula, plagas.
Jlla mare eſt, livor Scopulus, quid cymba? Regentum
Gratia; ſæpe dolis interit iſta: time!

Mines. A Mine.

Metallorum Fodinæ.

Una Mina.

O quot opes perdunt homines!

XL.

INtima mortales ſcrutantur viſcera terræ,
Ipſaque Plutonis jam labor antra ſubit.
Nil vapor, occluſæ nil peſtifer halitus auræ,
Nil ſubtus ſtreperæ terret abyſſus aquæ.
Scilicet eſt fulvi tam cœca Cupido metalli:
Nulla pericla videt, nulla pericla timet.
Attamen hoc, tantis quod curis quærimus, aurum,
Bacche tibi toties, vel Cytherea datur.
Problema eſt. Vtrum majore furore parentur,
Anne magis fatue dilapidentur opes?

Autumn. The Autumn.

Autumnus. L'Autunno.

Sunt temporis omnia præda.

XLIX.

AVtumnus, video, pira dulcia, mitia poma,
Abſtulit in cellas, œconomia, tuas.
Jam quoque pendentes reſecavit vitibus uvas,
Implevitque ſuos vinitor inde cados.
Sol humilis denſos non detinet amplius imbres,
Flat Boreas, foliis ſilva ſtat orba ſuis.
Ergo aliquis, vacuos dum cernit in arbore ramos:
Quam cito tot rapuit gaudia tempus, ait!
Sic eſt, nil durat. Mors & rapit omnia Tempus,
Illa ſuis telis; falcibus iſtud agit.



The Winter.

L'Inuerno. **Hiems.** Il Verno.

— — Bruma Studioſus in ipſa
Et flores fructusque legit.

L.

VEnit Hiems, totos operit nix frigida campos,
Pendet & ex alta ſtiria longa domo.
Pro patriis pugnare focis jam ſæpe neceſſe eſt.
Jam quoque ſub vulpis pelle latere licet.
Cum deſint alibi ; in libris vos quærite flores,
Si quos Phœbus amat, quosque Sùada docet.
Iſtud enim ſtudiis, tempus favet artibus iſtud,
Quo mens delicias quærere ſola poteſt.
An operam ac oleum vis ſegnis perdere ? quippe
Lampades haud paucas nox modo longa petit.

The Ice. Ice. Icy.

Il Ghiaccio. # Glacies. Ghiacciozo.

Et fors, & glacies res utraque lubrica fallit.

LI.

COgit hiems rapidum vaga flumina ſiſtere curſum
Frigore, ceu captas compede, ſtringit aquas.
Cruſta ſuper duros cryſtallina cernitur amnes,
Provocat illa tuos, læta juventa, pedes.
Ergo aliquis plantas ferrata munit aluta,
Currit in hac agili, quin volat ille pede.
Dum plaudit populus, glacies en rupta dehiſcit,
Et novus hic gelidas ſit jocus inter aquas.
Quem celeri ducit curſu fortuna, memento,
Hæc vitrea eſt, caſum quem verearis habes.



Fine Weather

Tempus ſerenum.

Bel Tempo.

Innocuæ menti par nulla voluptas.

LII.

MIte favet tempus; ſudo Sol fulget Olympo,
Nullus adeſt veni, nullus ab imbre timor.
Blandior & florum color eſt, & ab arbore venit
Gratior, hic puro, qui natat amne viror.
Ad villas, ad agros jam ſuavior evocat aura,
Floris odor, rivi murmura, ſilva trahit.
Cui licet, e clauſa diſcedit mœnibus urbe,
Magnificamque caſæ poſthabet ille domum.
Vis, quod vincat opes, commixtaque gaudia curis?
Pura ſit ut tibi mens, & ſine labe, ſtude.



Tempestuoy. Tempest or Storm.

Tempestoso.

Turbo.

Cades, ni cesseris iræ.

LIII.

TVrbo venit, rapidos convolvitur aer in orbes,
Trux Boreas acuit sibila, turbo venit.
Turribus impositus gyris cito vertitur ales,
Pendula quin etiam turribus æra sonant.
Tecta tremunt, trepidoque cadunt fragmenta camino,
Raptaque de tectis scandula multa volant.
Fit fuga. Distracta rapitur, vir, femina, veste,
Quæ patet in prima quæritur æde salus.
Fortunæ nimium ne congrediare furenti:
Temporibus qui non cesserit, ille cadet.

Turbo.

Dulces, ut cedunt tru.

Clouds or Darkness. Darkness

Nebulæ.

Mendax facit omnia magna.

Oscurità.

LIV.

HVmidus a nebulis ceu peplo obducitur aër,
Inque die media non habet ille diem.
Sæpius incautus ſubit inde pericla viator,
In propriis etiam devius errat agris.
Jlle novos montes, nec viſas ſurgere turres,
Et ſibi jam fluvios credit adeſſe novos.
Obvia ſic arbor creſcit, ſic concita ventis
Objicitur, nebula decipiente, ſeges.
Has etiam patimur nebulas, queis tanta videntur,
Quæ ſunt vana, nihil, Gloria, Luxus, Opes.



The Shade.

Vmbra.

L' Umbra.

Nullum ſua deſerit Vmbra.

LV.

VMbra quid eſt? lucis nihilum: tamen utilis Vmbra eſt.
Et quis ab hoc nihilo, quod doceatur, habet.
Vtilis eſt. Feſſos hæc nunquid recreat artus,
Cum calidas ſpargit Phœbus in arva faces,
Rura colens, Paſtorque gregis, laſſuſque Viator,
Nonne tuos quærit quilibet Vmbra ſinus?
Vmbra diem juſtas nunquid partitur in horas,
Quove loco Sol ſit nunquid & Vmbra docet?
Eſt quoque quod diſcas. Corpus comitatur ut Vmbra:
Sic nemo eſt, cui non nævus adhæret, homo.



A Dog. Dog. A little Dog.

Un Cane. **Canis.** Un Cagnolino.

Qui multa docemus, discere nil volumus.

LVI.

ORe minus diversa, minus diversa colore,
Indole quam varia est prædita turba canum:
Hic sequitur lepores, ferus involat alter in ursos.
Ille domum, timidas iste tuetur oves.
Hunc anates fugiunt, pavet hunc abscondita perdix.
Hic natat, obstantes & pede frangit aquas.
Ad Domini nutum varias ille exhibet artes.
Stat, canit, &, saltat, quodque jubetur agit.
Hæc homines docuere canem. Cur rursus ab illo
Non homo constantem discit habere fidem!

An He Cat. Cat. A She Cat
Un Gatto. Una Gatta.

Catus.

Sævior, cum blandior.

LVII.

QVi ſe crinigerum tumidus convolvit in orbem
Jlle Nero tuus eſt, muſcule parve, Catus.
Dente ferox, oculis fallax, metuendus & ungue eſt,
Atque aliquod ſemper lugubre murmur edit,
Mire agilis, celeri veluti funambulo curſu,
Tecta per, & turrris culmina ſumma, volat,
Hunc caveas, ſi forte paret tua ſtringere colla,
Strangulat amplexu colla ligata ſuo.
Blanditiis his ſæva ſuis quot femina perdit?
Fors ſibi tam ſimilem diligit ergo Catum,



A Rat. Rat and Mouse A Mouse

n Topo. It

Glis & Mus.

Un Sorcio.

Nec tutum eſt in nocte ſcelus.



LVIII.

DVm ſuadent placidum nocturna ſilentia ſomnum;
Glis venit inde ſua, muſculus inde, ſpecu.
Damna penus patitur, minuuntur dente voraci
Piſa, fabæ, rapæ, braſſica, pinguis adeps.
Solers ergo ſtruit caveas ancilla doloſas,
Et capit hoc furem, quem capit ipſe, cibo:
Subdolus attacta nam carcer clauditur eſca,
Carnificique manet victima clauſa cato.
Diſce, nec in mediis eſt tuta rapina tenebris:
Hæc, quæ nocte patras crimina, luce lues.

Ox. An Ox.

Bos. Un Bove.

Stolidum, qui cornua geſtat, vult ſubdi natura jugo.

LIX.

QVanta vides Bos ſit robuſtaque machina carnis,
Duraque quam forti cornua fronte gerat.
Bellua, quod poſſit, quis crederet iſta domari;
It tamen ad voces ſtatque, Menalca, tuas.
Vomere nunc ſcindit; nunc æquat jugera raſtro;
Nunc molit, e ſilvis nunc grave vectat onus.
Eſt ſtolidum: debet pecus hoc vel Tityre flagro,
Vel cultro, Lanio ſæve, ſub eſſe tuo.
Mente hebetes, validi membris, vel dura ſecuri
Veſtra vel impoſito ſubdite colla jugo.

An Horse Horse
Un Cavalla.

Equus.

Virga præstantem frenumque facit.



LX.

VT genio est varius, varios sic servit in usus,
Fortis hic, ille celer, bellicus alter Equus.
In precio est, cui pes gracilis, præcordia lata,
Auris acris, cervix vivida, molle labrum.
Jam lentus graditur, jam sese curvat in arcum,
Fertque equitem saltu subsiliente suum.
Nunc etiam celerem cursu decircinat orbem,
Nunc super intactam tollitur altus humum.
Cur virgam fugitis juvenes, frenumque timetis?
Cum tot ab his artes ipse docetur Equus.



Asinus.

Omni nemo laude caret.



LXI.

IPse ego jam (pro me cum nemo peroret) Asellus
Dicere pro fama debeo pauca mea.
Nunc fero sessores, nunc altera pondera merces,
Saxaque sic scando bajulus alta pede.
Vatem ago, venturos ruditu nuncio nimbos.
Nostrum ægris medicam lac quoque præstat opem.
Quid, quod & e nostra formentur pelle libelli,
Hic memori, quæ sunt mente tenenda, notat.
Hæc & plura mihi cum sint encomia, paucos
Jam fortasse meum nomen habere pudet.

A Sheep. Sheep.

Una Pecora.

Oves.

O quot vellera noſtra ferunt!

LXII.

EN pecus innocuum, virides quas Paſtor in agros
Denſo collectas agmine ducit, Oves.
Hæ ſolæ veteris fuerant opulentia ſecli.
Nunc etiam multis inde parantur opes.
Pinguia quis dulci nunc lacte coagula format,
Nunc ſecat in lucrum vellera criſpa ſuum.
Balantes etiam teneram quis mactat in eſcam,
Longaque pro chordis extrahit exta ſuis.
Es probus, & dives? caveas: nam forſan avarus
Non deerit, qui te tondeat inſtar Ovis.



An He Goat Goat. A She Goat.

Uno Caprone. Una Capra.

Hircus.

Fœtore ſuo ſe prodit ubique



LXIII.

Hircus adeſt, elata cui ſtant cornua fronte,
Barba cui longum pendet ab ore decus.
Hunc timeat, teneris floret quæ frondibus arbor,
Has cupit, & ſpurco diripit ore dapes.
Vult plures, *me* ſæpe, capræ, *me* clamat, adite.
Cornu in rivalem (ſi venit alter) agit.
Fœtidus hinc omnem, quo quo venit, inficit auram.
Naribus eſt, quamvis lotus in amne, gravis.
Indica mancipium Veneris cur balſama quæris?
Nullus enim eſt, hircum qui ſuperaret, odor.



An Hog. Hog.
Un Porco.

Porcus.

Paſcitur, ut paſcat.

LXIV.

ASpice ſetigeram properantem ad paſcua turmam;
Impetus hanc varia ſpargit ubique via.
Ille ſtat, in fœdam devolvitur iſte paludem,
Colligit hic avida putria poma gula.
Alter iter relegit, vetitos volat alter in agros.
Sollicitus curas mille ſubulcus habet.
Sus tamen & clauſus pingui quoque paſcitur offa:
Cæſus enim noſtræ grata fit eſca gulæ.
Sic quoque ſervimus, & ſic blandimur avaro:
Vivere nam quando deſiit, utilis eſt.



A Camel. Camel
Un Camelo.

Camelus.

Eſt, eſſe quod horret.

LXV.

INgens, fœdum animal, gibbo deforme, Camelus,
Et collo colubrum torvus & ore refert.
Bajulus eſt, quo per ſteriles mercator eremos,
Aſia, divitias fert opulenta tuas.
Obſita quæ cæno eſt, avido bibit ore, paludem,
Nec bibit illimem, ni pede turbet, aquam.
Scilicet in vitrea timet is ſe cernere lympha:
Territus a vultu nam fugit ipſe ſuo.
Jam cur tam ſibi charus homo, quem crimina fœdant;
Quo tamen haud monſtrum turpius eſſe poteſt?

Buck or Stag.

Cervus.

— — Excutis unum?
Mox gravius portabis onus.

LXVI.

NI peterent noſtram venantum ſpicula cædem,
Quam bona ſors cervo, vitaque longa, foret!
Nunc etenim ſilvas, nunc florida prata, pererro.
Flumina nunc trano, nunc juga celſa peto.
Langueo? Dictamno me recreo. Subdolus anguis
Me ferit? hauſta cito toxica pellit aqua.
Cornibus exonero (ſunt hæc mea pondera) frontem;
Quæ redeunt ramo ſemper at aucta novo.
Mortales tolerate crucem, nec ponite veſtram:
Excuſſam gravius nam ſequeretur onus.

A Spider. Spider.
Un Ragno.

Araneus.

Aliis per propria damna nocivus,
peſſimus eſt.

LXVII.

ADſpice, miranda quam texat araneus arte?
Ralla, jugum, radius, ſtamen & ipſe ſuum eſt.
Egerit, egeſtum nectit ſuper arbore filum,
Pendulus hoc variis itque reditque viis.
Qua graditur, nova fila trahens, ſexangula circum
Explicat e fibris retia ducta ſuis.
Tot laqueos nectit, tot ſolers vincula jungit,
Te quia vult prædam, parvula muſca, ſuam.
Qui ſic, ut pereant alii, ſua prodigit, ille
Fraude venenata plenus araneus eſt.

A Bee. Bees. A Swarm of Bees.
Un' Ape. Sciame.

Apes.

Hæc pungunt exempla pigros.

A Bee-hive.
Un' Alveario.

LXVIII.

QVod circumvolitat, quod flavum bombilat agmen,
Collegere ſuo tinnula ſiſtra ſono.
E bove quas gratas fecit fimus, incolit ædes,
Paret & hic Regi ſubdita turba ſuo.
Pars abigit fucos, pars pabula quærit in agro,
Altera ſed ſuccis pars onerata redit.
Pars reliquas animat cantu, pars mella recondit,
Munere nulla ſuo, nulla labore vacat.
Heu fugite, haud iſtos pigri ſpectate labores:
Segnitiem veſtram ſedula punget Apis.



Wild Beasts.

Feræ.

Has hominem domuiſſe decet.

LXIX.

TRux oculis, ferus ungue Leo, Rex ille ferarum,
Ferrea vincla ſubit, colla ligatus adeſt.
Illa furens etiam, curſuque celerrima Tigris,
Cogitur anguſta clauſa manere ſpecu,
Quid, quod & immanes pellat quis fuſtibus urſos,
Vt moveant doctos ad ſua plectra pedes.
Quin etiam varias Elephas formatur ad artes.
Hæc laus eſt hominum poſſe domare feras.
Sed cur indomitam (ſi laus hæc quæritur) iram
Linquitis? eſt nullis mitior illa feris.

A Wolf. Wolf.

Un Lupo.

Lupus.

Depascet, ni pascis, oves.

LXX.

CUm Lupe balantes audis, & conspicis agnos,
Nonne tibi dentes tunc oculique dolent?
Pastores procul hinc, cuperes procul esse molossos,
Densa vel ut premeret nox, & utrosque sopor.
Prodires etenim cæcis tunc tutus ab antris,
Expleres fauces, helluo sæve, tuas.
O vos, innocuæ quibus est data cura juventæ,
Huic, rogo, vos vigili semper adeste fide.
Si geminos quondam servaverat una puellos,
At nunc quot Juvenes perdidit una Lupa!

Un Apz. Una Scimia. Apz.

Simia.

Levium ſumus & nos Simia morum.



LXXI.

Hiſtrio quod noſtros imitatur Simia mores,
In precio Domino eſt, deliciisque ſuo.
Scribere te cernit, ſe mox quoque ſcribere finget.
Pectis forte tuas, pectit & ille, comas.
Id, verbo, quod ages, aget hæc, & mille cachinnos
Saltibus hinc pariet Mima jocoſa ſuis.
Et nos ſimiolas, quam voce, togisque comaque
Exprimimus, ridet gens aliena, ſuas.
Hæc ergo levitas, hæc vana ſuperbia Circe eſt,
Nos homines ſimiles quæ facit eſſe feris.

A Bird. In Uccello. Birds in general.

Volucres in genere.

— — — Non parcitur illis,
qui ſibi non parcunt.

LXXII.

PLumea turba, vagis quæ ludis in aëre gyris,
Quam varii mores ingeniumque tibi eſt.
Altera pars pennis, pars altera voce triumphat,
Altera vult ſilvas, altera quærit aquas.
Pars cicur eſt, aſſueta manu lætatur herili,
Pars fera non ipſa vel cicuranda fame.
Bella etiam geritis, roſtro pugnatis & ungue,
Se quoties parva magna ſaginat avis.
E vobis (nolite queri) quod quærimus eſcam,
Ipſæ vos homines hoc docuiſtis Aves!

The Swan.
Il Cigno.

Swan.

Cygnus.

In morte triumphat.

LXXIII.

STrymonius natat inter aquas, nive purior, Ales,
Circumfertque oculos, celſaque colla levat.
Puppis cauda, caput prora eſt, pes remus, in alis
Vela habet, & tota eſt non niſi navis avis.
Candida ſic oculos recreat, tum fluctuat undis,
Auribus illecebras machina muta negat.
At cum longa ſenem jam viribus exuit ætas,
Vincit Olor cantum, vel Philomela tuum.
Cui nivei mores, cui labis neſcia mens eſt,
Finiet huic mœſtos hora ſuprema dies.



An He-Sparrow. Sparrow. A She-Sparrow.
Un Passerotto. Una Passera.

Passer.

DEO sunt omnia curæ.

LXXIV.

QVæ contemta magis, quæ Passere vilior ales,
Hospite quo turris, villa nec ulla, vacat.
Non color hunc, non hunc commendat gratia cantus:
Aut pipit, aut querulo flagitat ore cibum.
Scit tamen illius pretium DEVS, erigit illum,
Arbore præcipitem quando phreneſis agit.
Ambigis, an pro te vigilet pia cura Tonantis?
Nil animæ precio par valet esse tuæ.
Te sors dejiciat, vel celso culmine livor,
Semper es in manibus, ne vereare, DEI.



A Nightingale. Nightingale.
Un' Usignolo.

Luſcinia.

Parva caro, ſed vox & ſpiritus ingens.

LXXV.

AVdis, quæ ſilvis reſonet ſuaviſſima Siren,
Vt rotet in varium guttura blanda melos.
Scilicet hæc illa eſt jucundi muſica Veris,
Vox mera, pluma levis, vix Philomela caro.
Quæ volat in frondes, quæ frondibus avolat altis,
Quæ gelidas inter deliciatur aquas.
Garrula quam toties ad cantus incitat Echo,
Et tibi quæ tardat ſæpe, viator, iter.
Ad laudes cur noſtra DEI eſt vox pigra canendas?
Fors quia nos nimium carnea turba ſumus.



A Cock
Un Gallo.

Cock

An Hen
Una Gallina
A small Hen
Una Gallinetta.

A Chicken.
Un Pollo
Un Pollastro

Gallus.

— — — Perjurum prodidit illum;
nunc tacet.

LXXVI.

CIngitur ovipera non una conjuge Gallus,
Ornat cui tumidum carnea crista caput.
Jam levat hoc, jam voce ferox cucuriet alta.
Ingens, nonne vides? in pede calcar habet.
Id, mirum est, Aurora, tuos quod sentiat ortus,
Venturamque canat Præco quod ante diem.
Plus mirum est animos quod terreat ille nocentes,
Terruit hic cantu te, Petre, nonne suo?
Nunc quoque si canerent quoties perjuria fiunt,
Nulla foret Gallis nocte dieque quies.



A Peacock Peacock.
Un Pavone.

Pavo.

Faſtum, mortis memor, exuet omnem.

LXXVII.

EXplicat, ecce, ſuas ales Junonia pennas,
Vertitur in miram Cauda ſuperba rotam.
O quantus micat hic luxus, luſusque colorum!
Splendet in hac totum, quod decus Iris habet.
At videat ſi pavo pedes ſcabroſaque crura,
Detumet, ac faſtum contrahit ipſe ſuum.
Eſt quem Nobilitas, quem fulvæ copia glebæ,
Quem tumidum vultus gratia mira facit;
Ad tumulum ſi forte pedes perpendat euntes,
Se nihil eſſe, brevis quem capit urna, ſciet.

A Pigeon
Un Piccione.
A Young Pigeon
Un Piccioncino.

Pigeons or Doves

An He-Dove
Un Tortorello
A She-Dove
Una Tortorella.

Columbæ.

Et ficti & cedent victi candore colores.

LXXVIII.

SE jungunt ſociæ mitiſſima turba Columbæ,
Innocuum Volucres & ſine Felle, genus.
Aureus hanc circum dat Colla micantia torquis,
Hanc pingit minium, cyaneusque color.
Sunt, celeres prohibet queis fimbria plumea greſſus,
Sunt, quibus exornant plumea ſerta caput.
Hæc fugit ad ſilvas, noſtros amat illa Penates,
Et quædam eſt nivibus non minus alba novis.
Hæc placet. Hunc alii nequeunt æquare colores,
Qui nunquam a miti pectore Candor abeſt.

Piſces in genere.

Omnes capimur diſcrimine nullo.

LXXIX.

O Quot, quam varios clauſerunt retia piſces!
Tot mare dat noſtræ nempe tributa gulæ.
Rhombus adeſt, & Congrus adeſt, & parvus aſellus
Lotæ, Apuæ, Scomber, Gobio, Cottus adeſt,
Vilis, & hic video, ſpinoſa, minutula turba eſt.
Et nocet hic ſtomacho piſcis, & ille, meo.
Cur capit hos piſcator, aquis cur extrahit omnes?
Cur? ſua quod cæca retia ſorte jacit,
Improbe formida mortem, diſcernere neſcit,
Cæca ſimulque bonos, & rapit illa malos.



Piſces magni.

Vis vincitur arte.

LXXX.

BEllua, quæ vaſtis, velut Inſula fluctuat undis,
Humana capitur, captaque fraude perit.
Ergo Gigas piſcis, qui, motæ verbere caudæ,
Eſt potis ingentis vertere navis onus,
Se titillantem ſequitur prope littora nautam,
Ac abit, ex altis non rediturus aquis.
Incipit interea jactis langueſcere telis,
Et venit in ſpolium, nautica turba, tuum.
Nemo ſuo nimium confidat robore, vinci
Quilibet ingenio, blanditiisque poteſt.

Piſces parvi.

Dum capimus, capimur.

LXXXI.

CUr ſalis, ac hilarem, piſcis, te vertis in orbem?
Anne tuis tutum te fore credis aquis?
Falleris: occultæ latitant ſub flumine naſſæ.
Hoc modo, ni caveas, carcere clauſus eris.
Quid quod & e longa tibi virga pendeat hamus,
Et tibi fert gratas in tua damna dapes.
Heu fuge, ne capias, hac ne capiaris ab eſca.
Mutis ſed quid ego piſcibus iſta loquor?
Mortales moneo, ne mel guſtate voluptæ:
Occulit hoc hamos Mors truculenta ſuos.



Homo.

Autori reddatur opus.

LXXXII.

EN Hominem, divinæ opus admirabile dextræ,
Vna cui pars eſt ſpiritus, una Caro.
Oſſibus hæc fulta eſt, variosque intexta per artes,
Surgit in hoc mirum corporis alta decus.
Majus adhuc animæ pretium eſt, majorque venuſtas:
Exprimit Autorem nam typus iſte ſuum.
Si quæ Cæſareos referunt nummiſmata vultus,
Rurſus ad Auguſtas ſunt referenda manus.
Trademusne animam vitiis, ſtygioque Tyranno?
Soli danda Deo eſt, cum ſit imago DEI.

Juvenes.

-- -- -- affectibus ægri
Heu quoties pereunt.

LXXXIII.

CUrrus, equus, toga comta, canes, pila, plectra, choreæ,
Sunt, quæ vult genius, læta juventa, tuus.
Et fugit hæc curas, nec feris prospicit annis.
Vtitur hac votis, quæ fluit apta dies.
Non augent, non condit opes, si forte paratas
Invenit, in merces prodigit æra novas.
Hoc aperit, quod mente gerit, non occulit iras,
Non hunc, qui calido pectore fervet amor.
Tot vitiis, veluti morbis malesana laborat:
An mirum est, hinc si sæpe juventa perit?

Senes.

Senex ſerpit quoque lentus ad urnam.

LXXXIV.

Hic video rugis plenum, canisque Senatum
(A Senibus nomen quippe Senatus habet)
Sed quid agunt? ſimul & præſentia tempora damnant;
Præteritos vellent & revocare dies.
Olim erat in pretio virtus, candorque, fidesque
Floruit, & juvenes tunc coluere ſenem.
Nunc ſcelus omne viget, luxus dominatur ubique,
Jus, Pietas, terris pax, amor omnis abeſt.
Hoc clamant, mirumque, malo quod nullus abire
Orbe Senex cupiat, ſit licet ille Tripes.



Sanus.

Qui ſanus negligit eſſe,
Sana mente caret.

LXXXV.

CUm vegeto fervent fortes a ſanguine venæ,
Temperiemque ſuam quilibet humor habet,
Cum læto rubet ore color, frons ſuda renidet:
Tunc bene dextra ſuum, mens bene munus agit.
Tum vibrat arma ferox, & miles provocat hoſtem,
Tum calami doctis ad ſua vota fluunt.
Otia tunc opifex vitat, Propola, Colonus,
Iſte labore parat, mercibus alter opes.
Qui ſanas epulis, cæcaque cupidine vires
Prodigit, inſanus nonne vocandus erit?



Infirmus.

Hæredum ac ægri ne credite votis.



LXXXVI.

QVi jacet hic, molli tectus licet undique pluma,
Ægra putat dura membra locata trabe.
Terga dolent, plantæque dolent, jecur, ilia, pectus,
Cor, caput, & ſtomachus, pulmo, lienque dolent.
Dantur; at heu torvo ſumit data pharmaca vultu,
Et tremulo medicos vix bibit ore ſcyphos.
Tum bona Mors, clamat, bona Mors, hos ſolve dolores;
Mors procul hinc, hæres, qui vigil adſtat, ait:
Hæredem auditis Superi? mox deſinet æger
Vivere. Sin ægrum? deſinet iſte mori.



Dives.

Quam ſæpe Midæ latet auris in auro.

LXXXVII.

DIves adeſt, plena eſt numerato menſa metallo,
Plus etiam argenti turgida ciſta tegit.
Sed quid agit? nummos, cum nummos erogat, auget,
Fœcundasque novo fœnore reddit opes.
Quam bene! nummatis nam dant hæc tempora nummos,
Nec niſi divitibus Sors opulenta favet.
At, bone vir, tanto quæ jam tibi parta labore eſt
Olim congeries aurea, Cujus erit?
Neſcio, ais. Neſcis? Reſponſo hoc ergo probaſti,
Te nimium longis auribus eſſe Midam.



Pauper.

Hoc nemo jacente ſtat melius.

LXXXVIII.

ASpice, qui nummos humili prece flagitat, Irum,
Cui tot pittaciis, & male ſarta toga eſt!
Pallor in ore, fames oculis ſedet intus abactis.
Nuda ſimul morbis, membra geluque tremunt.
Quem mala tot torquent, miſer is tibi nonne videtur?
Quis neget hoc? Miſer eſt: Pauper ubique jacet.
Falleris; hic miſer eſt, ſua quem fortuna ſaginat,
Mox reus hic pœnas in ſtygis igne dabit!
Irus hic eſt felix: jaceat cum Pauper ubique,
Occupat immenſum Numinis ergo ſinum.

Claudus.

Sit patiens claudus, ſaltabit ad aſtra.

LXXXIX.

FOrſitan eſt, alto cui fracta eſt tibia caſu,
Glande vel imminuit bellica canna pedem.
Hic ſua vel longis firmat veſtigia grallis,
Vel pedis e dura fit faber ipſe trabe.
Dum trahit hanc cotyli per ſtupea vincula nexam
Vrbibus, & planis tardus oberrat agris,
Et quemcunque gradum, non hunc facit absque dolore.
Non alia graditur quam crucis iſte via.
Hac via it? ergo equitent alii, bigisque vehantur
His citius claudo ſcandet ad aſtra pede.

Arx.

Aurum mihi nomen ademit.



XC.

TVrribus impoſitis, validis circumdata muris,
Extruxit veterum fortia caſtra labor.
Vixit in his tutus, vicinos terruit hoſtes,
Servabatque ſuos incola pacis amans.
Pro patria invenit vigil hæc munimina Mavors.
Arx & adhuc nomen, bella quod arcet, habet.
Has tamen aërias rutili vis ſæpe metalli
a nullo domitas vicerat hoſte manus.
Tam blandum cum nemo manu trux arceat aurum,
Arces inde ſuum nec quoque nomen habent.

Civitas.

Dum ſibi ſunt hoſtes homines, quæ tuta ſat urbs eſt?

XCI.

QVas variis celebres Regionibus adſpicis urbes,
Has tumor, aut cauta condidit arte timor.
Quid referam veteres? & nunc cupit urbibus ædes,
Orbibus, ac urbes quis fabricare pares.
Nos quoque quot foſſis, quot vallis claudimus urbes:
Sic, ut inacceſſas poſſideamus opes!
Tuta fuit quondam vili caſa ceſpite nata,
At cum paſtor erat, raſtraque geſſit homo.
Tot modo vix hominem defendere mœnia poſſunt,
Alterius factus cum Lupus alter homo eſt.

Cometa.

Proles timeat, Patris ignea virga minatur.

XCII.

EN novus insolita noctem face dissipat ignis,
Extendit rutilas nempe Cometa comas.
Conveniunt, trepidique attollunt lumina Cœlo,
Et sibi mortales omina mœsta canunt.
Iste faces belli, Magnorum hic funera Regum,
Excidium populi, sed timet ille luem.
Res certa est, raro fulgent impune Cometæ,
Sunt reor irati flammea virga DEI.
Vestra rei sed cur lacrimas non lumina fundunt?
Hic alia extingui nam nequit ignis aqua.

Bellum.

Tot plagis tundimur, & vix
Flectimur in melius.

XCIII.

TYmpana ubique ſonant, litui ſonat undique clangor,
Non habet in terris pax requiesque locum.
Induit hic galeas, galeas Rex induit alter,
Arcus hæc, gladios gens parat illa ſuos.
Eſt hoſtis mortale genus ſibi, mundus arena,
Et populi, Martis victima denſa, cadunt.
Ferrea, quis neget, eſt ætas: in vertice ferrum,
In manibus ferrum, vir, juvenisque gerunt.
Quid mirum, a Superis toties quod vapulet orbis?
Non aliter flecti ferrea corda queunt.

Fames.

Poſt Bacchi, aderunt jejunia, feſtum,

XCIV.

QVæ rerum hæc facies, larvæne, hominesque videntur?
Perdidit humanum priſtina forma decus.
Aufugere oculi, cutis aret, concidit alvus,
Oſſea ſtat longo Mortis imago pede.
Putre movet, video certamina dira cadaver,
Victor is eſt, mortem, qui vorat ante ſuam.
Quæ male ſuada fames homines hanc cogit ad eſcam,
Fætida jejunos quæ fugat eſca lupos!
Has ventri ſed ferte dapes pro Numine culto,
Nempe decent talem talia liba Deum.



Peſtis.

Plus animæ fugienda lues.

XCV.

PEſtis ſævit atrox, ipſa hæc, qua vivimus, aura
Plena venenata nos necat aura lue.
Heu ſubito cunctas febris occupat ignea venas,
Inque rubente tument toxica ſæva cute.
Quis quemcunque timet, Pylades procul adſtat Oreſte,
Et pater a natis, a patre natus abit.
Nempe homo mors homini eſt, modo quem tetigiſſe periſſe eſt,
Ipſa vel exitium noxia verba ferunt.
A ſocio, ſi vos terrent contagia, pravo:
Plus famam, & mores inficit, eſte procul.



Insecta.

Perdimus heu fruges, qui fruges nolumus esse.

XCVI.

HEu frutices eruca vorat, latet arbore Cossus,
Vndique bruchorum nubila densa volant.
Flos periit, teneris non hæret gemmula ramis,
Nec pyra September, poma nec ulla dabit.
Sic gemit Oeconomus, cultrum mox sumit acutum,
Et simul hoc frondes colluviemque secat.
Noxia stirps texto quod circum obducitur ovo
Vel pede proteritur, vel datur esca foco.
Este homines frugi, fruges ne subtrahat ille,
Plectere vos vermes qui quoque verme potest.

Exundatio aquarum.

Nocuus ſic plectitur ignis ab undis.

XCVII.

VEl fracta fluvios effudit Aquarius urna,
Abrupit tumidum vel ſua fræna mare.
Vaſta repentinis tumulantur fluctibus arva,
Jamque tumente latet collis & arbor aqua.
Jamque rapit validus ſuffoſſa mapalia torrens.
Innocuas paſtor mergitur inter oves
Oppida, quin totas aufert cum civibus urbes,
Collectis ſubito quod ruit æquor aquis.
Scilicet Idalias toties quibus æſtuat orbis,
Sic bene diluvii temperat unda faces.

Incendium.

Dant menti incendia lucem,
Qua mundi videat nihilum.

XCVIII.

QVi latuit, tectis se publicus explicat ignis,
Amplius haud fusis flamma domatur aquis.
Mobilis in ventos hoc æstu extenditur aer,
Auget hic, & totas dissipat urbe faces.
Fit fuga, desertas Vulcanus possidet ædes,
Et male fors partas depopulatur opes.
Arcta cui fuit ampla domus, jacet Irus in agro,
Cui toga vilis erat byssina, nudus abit.
Esse meros cineres aulæa, palatia, luxum,
Vindice mortales sic docet igne Deus,

Terræ motus.

Nec terra ſceleſtum
Vult ſibi ferre gravem.

XCIX.

TVrbatas fons reddit aquas, mus proſilit antro,
Obfuſcat nubes pulverulenta diem,
Mira rotat vertigo caput, jam pendula clangunt
Turribus æra, tremunt tecta, movetur humus.
Qui valet, hic celeri petit arva patentia curſu:
Corruit urbs, inter marmora nulla ſalus.
Sæpe tamen patulus fugientem ſiſtit hiatus,
Et tumulum vivis alta vorago parat.
Quam grave ſit ſcelerum mortales diſcite pondus:
Preſſa ſub hac etenim mole fatiſcit humus.

Mundi negocia.

Eſt, cui nil cœlum debet, labor irritus omnis.

C.

HÆc, quæ mundus agit, tibi parvula monſtrat imago,
Nempe tenet cunctos anxia cura lucri.
Hoſpes ab extructis ſibi comparat ædibus aurum,
Inſtitor a variis mercibus auget opes,
Alter agros, alius vites, ille excolit hortos,
Quis ſua pro numis bajula terga locat.
Hunc quoque, qui tot equis ad Regum ducitur aulas,
Tecta premit meriti ſollicitudo ſui.
Gratis nemo, ſed heu fruſtra quot ubique, laborant.
Cælum, ni merces ſit tua, fine cares.